



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 14. Contentio Papam inter & Venetos circa Abbatiam Vangadizzæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

& præprimis pro Catholica Religione, Sæc. XVII.  
 quæ in Germania inter tantas liberta- A. C. 1608.  
 tem expetentium turbas periclitabatur,  
 eo ferventius ad Deum fundendas ani-  
 maret: hanc in rem præcipuas Roma-  
 næ urbis Ecclesias visitantibus, ac pro  
 facultatum ratione inter egenos elee-  
 mosynas erogantibus plenam noxarum  
 condonationem offerebat. Eadem gra-  
 tia Lutetiæ Parisiorum vigesimo sexto  
 Novembris die communicari cæpta per  
 quindecim dies protracta est, innumera  
 hominum multitudine piis operibus  
 ad hujus gratiæ participationem sese  
 comparante.

## §. XIV.

*Contentio Papam inter & Venetos circa  
Abbatiam Vangadizzæ.*

Obeunte Francisco Lauretano Patritio *Palat. in vita*  
 Veneto pinguis admodum Abbatia *Pauli V.*  
 titulo Sanctæ Mariæ Vangadizzæ in *Andreas*  
 Rhodigniæ Peninsulæ ditione vacabat, *Mauroc.*  
 cui Paulus V. Pontifex successorem de- *Hist. l. 18.*  
 derat hoc anno Scipionem Burghesium *Bullar.*  
 Nepotem suum. Ea re, eoquod infcio *magn. t. 1.*  
 Senatu facta esset, offendebantur Ve- *Mem. Secret.*  
 neti, qui, cum Pontificis jus in Sacra *part. 8.*  
 in controversiam vocare haud possent, *pag. 195.*  
 Burghesio temporalem, ut vocant, pos-  
 sessionem denegabant. Interea vero  
 Camal-



Sæc. XVII. Camaldulenses Religiosi Abbatiam occupant, illiusque Abbatem Fulgentium, qui antea Atalanæ Abbatiæ præerat, eligunt, qui etiam mox connivente Senatu Rhodigniam profectus, ritumque solemnem inauguratus Abbatiæ vacantis gubernacula suscepit. Hic Leonis X. privilegio innixus, vi cujus canobilia olim dissipata quocumque casu vacaverint, Religioni restitui jubebatur, suum Procuratorem Romam decernebat, qui avitum hoc jus tueri satageret: Verum Pontifex, ne potius violentia, quam jure agere videretur, Camaldulensium causam Sacræ Rotæ commisit, cujus Auditores nullum jus eis in hanc Abbatiam competere decidentem per Apostolicum Nuntium Venetam Rempublicam rogabant, ut Fulgentium e possessione deturbaret. Ast jam tum liberior in Veneto cælo dominabatur aer, quo flante Vaticani fulmina non nisi in undas innoxie prolapsura credebantur, hinc Fulgentius Abbas Senatus Camaldulensium jura protegente incepta Abbatiæ possessione perstitit. Tandem vero Pontifex & Respublica Abbatiam ita inter se partiti sunt, ut Mocenicus Patritius Venetus illam tam quoad Sacram quam profanam jurisdictionem teneret, Pensionem tamen quinque aureorum millium Burghesio relinqueret, jura



jura autem Camaldulensibus intacta Sæc. XVII.  
perseverarent. A. C. 1608.

§. XV.

*Alia controversia inter eosdem circa  
Patriarcham Venetum.*

Anno priori obibat Patriarcha Vene-  
tus, cui alius a Senatu nominatus  
succeserat, qui tamen suæ Ecclesiæ  
possessionem suscipere haud poterat, quin  
prius ad Sedem Apostolicam recurrens,  
consueto sese subjiceret examini. Hæc  
submissio recentem nuperi dissidii pla-  
gam refricare videbatur: eapropter Ve-  
neti a summo Pontifice petebant, ut  
neo-electus Patriarcha Romam quidem  
ad sacriati pedis osculum veniret, ejus  
tamen Successores deinceps ab exami-  
nis subeundi onere immunes declara-  
rentur: Ut vero preces suas potenti fir-  
marent patrocinio, Alincurtium Fran-  
ciæ Oratorem inducebant, ut Regis sui  
nomine hunc favorem a Papa peteret.  
Verum Orator primo se nullo ejusmodi  
mandato instructum reponebat, tandem  
vero Veneti Legati importunitate de-  
victus, Senatus postulatam Pontifici  
exposuit, inter alia proponens, quod  
Rempublicam sibi plurimum obstringe-  
ret, si concesso diplomate Patriarchas  
Venetos ab examine eximeret, id re-  
nuit

*Memoir.  
secret. p. 6.  
Et 7.*